

SECTIO III.
PATHOLOGICA;
DE
PASSIONIBVS VENAE POR-
TAE FAMILIARIBVS.

Venae portae *passiones* dum nomino, non solius huius *canalis* laesiones, aut *sanguinis* in ipso contenti *vitia* intelligo; sed omnium quoque eidem *connexorum viscerum* affectus, quatenus *vel* a venae huius & *sanguinis* eius turbis una concitantur, *vel* ipsimet venae huic & *sanguini* eius labem afferunt. Ubi quidem in genere praemoneo, quod simplicia *vitia craseos* sanguinis, & nominatim quidem iusto *spissior* eius consistentia, quatenus *motum* eius promptum sufflammat, longe simplicius ad varios morbos & symptomata provocanda sufficere possit, quam multiplices illi hodie accusari soliti *sapores*. Praesertim, cum difficultas, non *minor*, sed *maior* subsit, in opinione de *saporibus*, nempe sequens.

Crasin sanguinis iusto *spissiozem*, aut *abundantiam* sanguinis, etiam floridi, consequuntur subinde & communiter, pathemata insignia *spasmodico-dolorifica*. Hoc est *Thema* illud practicum seu experimentale, quod *schismati* opinionum ansam praebuit.

Qui *sapores* statuunt, *motum* aiunt fieri *mechanica* ratione, quatenus videlicet particulae *sapidae*, id est *salino-acres*, fibras partium *vellicent*, adeoque *irritent*: Ab hac *irritatione* fieri *motum*, *excussorium* nempe & *eluctabundum*. Confirmant hoc, *sensu*. Inde enim, a *vellicationibus* istis, subnasci *dolores* illos.

Qui *sapores* non admodum attendunt, *motus* hos aiunt fieri *organica* ratione, quatenus videlicet, cum a
crasi